

6,22: Ackerbau

(6,22,1) Agri culturae non student, maiorque pars eorum victus in lacte, caseo, carne consistit. (2) neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios, sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum quique una coierunt, quantum et quo loco visum est agri, adtribuunt atque anno post alio transire cogunt. (3) eius rei multas adferunt causas: ne adsidua consuetudine capti studium belli gerendi agri cultura commutent; ne latos fines parare studeant potentioresque humiliores possessionibus expellant; ne accuratius ad frigora atque aestus vitandos aedificent; ne qua oriatur pecuniae cupiditas, qua ex re factiones dissensionesque nascuntur; (4) ut animi aequitate plebem contineant, cum suas quisque opes cum potentissimis aequari videat.


6,23: Krieg, Staatswesen, Raubzüge,
Gastfreundschaft

(6,23,1) Civitatibus maxima laus est quam latissime
circum se vastatis finibus solitudines habere.

(2) hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris
finitimos cedere neque quemquam prope se audere
consistere. (3) simul hoc se fore tutiores arbitrantur,
repentinae incursionis timore sublato. (4) cum
bellum civitas aut inlatum defendit aut infert,
magistratus, qui ei bello praesint et vitae necisque
habeant potestatem, deliguntur. (5) in pace nullus
est communis magistratus, sed principes regionum
atque pagorum inter suos ius dicunt

controversiasque minuunt. (6) latrocinia nullam habent infamiam, quae extra fines
cuiusque civitatis fiunt, atque ea iuventutis exercendae ac desidia minuendae causa
fieri praedicant. (7) atque ubi quis ex principibus in concilio dixit se ducem fore, qui
sequi velint, profiteantur, consurgunt ii, qui et causam et hominem probant, suumque
auxilium pollicentur atque a multitudine conlaudantur; (8) qui ex his secuti non sunt,
in desertorum ac proditorum numero ducuntur, omniumque his rerum postea fides
derogatur. (9) hospitem violare fas non putant; qui quacumque de causa ad eos
venerunt, ab iniuria prohibent sanctosque habent, hisque omnium domus patent
victusque communicatur.

(6,24,1) Ac fuit antea tempus, cum Germanos Galli virtute superarent, ultro bella
inferrent, propter hominum multitudinem agrisque inopiam trans Rhenum colonias
mitterent. (2) itaque ea, quae fertilissima Germaniae sunt loca circum Hercyniam
silvam, quam Eratostheni et quibusdam Graecis fama notam esse video, quam illi
Orcyniam appellant, Volcae Tectosages occupaverunt atque ibi consederunt; (3) quae
gens ad hoc tempus his sedibus sese continet summamque habet iustitiae et bellicae
laudis opinionem. (4) nunc, quoniam in eadem inopia egestate patientiaque Germani
permanent, eodem victu et cultu corporis utuntur, (5) Gallis autem provinciarum
propinquitas et transmarinarum rerum notitia multa ad copiam atque usum largitur,
(6) paulatim adsuefacti superari multisque victi proeliis ne se quidem ipsi cum illis
virtute comparant.



6,25-28: Der herkynische Wald und seine Tierwelt (Rentier, Elch, Auerochse).

(6,25,1) Huius Hercyniae silvae, quae supra demonstrata est, latitudo novem dierum iter expedito patet: non enim aliter finiri potest neque mensuras itinerum noverunt.

(2) oritur ab Helvetiorum et Nemetum et Rauracorum finibus rectaque fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum et Anartium. (3) hinc se flectit sinistrorsus diversis a flumine regionibus multarumque gentium fines propter magnitudinem attingit. (4) neque quisquam est huius Germaniae, qui se aut adisse ad initium eius silvae dicat, cum dierum iter LX processerit, aut, quo ex loco oriatur, acceperit. (5) multaque in ea genera ferarum nasci constat, quae reliquis in locis visa non sint, ex quibus, quae maxime differant a ceteris et memoriae prodenda videantur, haec sunt.

(6,26,1) Est bos cervi figura, cuius a media fronte inter aures unum cornu existit excelsius magisque directum his, quae nobis nota sunt, cornibus; (2) ab eius summo sicut palmae ramique late diffunduntur. (3) eadem est feminae marisque natura, eadem forma magnitudoque cornuum.

(6,27,1) Sunt item, quae appellantur alces. harum est consimilis capris figura et varietas pellium, sed magnitudine paulo antecedunt mutilaeque sunt cornibus et crura sine nodis articulisque habent. (2) neque quietis causa procumbunt neque, si quo adflictae casu conciderunt, erigere sese aut sublevare possunt. (3) his sunt arbores pro cubilibus; ad eas se adplicant atque ita paulum modo reclinatae quietem capiunt. (4) quarum ex vestigiis cum est animadversum a venatoribus, quo se recipere consuerint, omnes eo loco aut ab radicibus subruunt aut accidunt arbores tantum, ut summa species earum stantium relinquatur. (5) huc cum se consuetudine reclinaverunt, infirmas arbores pondere adfligunt atque una ipsae concidunt.

(6,28,1) Tertium est genus eorum, qui uri appellantur. hi sunt magnitudine paulo infra elephantos, specie et colore et figura tauri. (2) magna vis eorum est et magna velocitas; neque homini neque ferae, quam conspexerunt, parant. hos studiose foveis captos interficiunt. (3) hoc se labore durant adulescentes atque hoc genere venationis exercent, et qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quae sint testimonio, magnam ferunt laudem. (4) sed adsuescere ad homines et mansuefieri ne parvuli quidem excepti possunt. (5) amplitudo cornuum et figura et species multum a nostrorum boum cornibus differt. (6) haec studiose conquisita ab labris argento circumcludunt atque in amplissimis epulis pro poculis utuntur.

